

**www.e-rara.ch**

## **Theatrum orbis terrarum**

**Ortelius, Abraham**

**Antverpiae, 1603**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92309>

**Magna Graecia.**

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# MAGNA GRÆCIA.



MAGNAM partem (si non totam) veræ & prisca Italia, vna cum Sicilia aliquando sub nomine Magnæ Græciæ cognitam, nemini Geographiæ non prorsus rudi obscurum esse existimo. Græci enim, non partem, vt Trogius ait, sed vniuersam ferme Italiam olim occupauerunt. Græci (audi Plinium) de ea iudicauerunt, genus in gloriam suam effulsissimum, quocumque partem ex ea (Italia) appellando Græciam magnam. Festi verba huc pertinentia, sunt hæc, Maior Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi obtinuerunt, vel quod in ea multa magnæque ciuitates fuerunt ex Græcis profectæ. Apud Seruium ad I. Æneid. hæc leguntur, Italia Μεγάλη Ελλάς appellata est, quia à Tarento vsque ad Cumas omnes ciuitates Græci condidere. quare quoque non absurdè Græciam exoticam vocat Plautus in Menæchm. Apud Senecam de Consolatione, ita, Totum Italiae latus quod Infero mari alluitur, Magna Græcia fuit. Tenuisse Græcos Campaniam, Plinium quoque auctorem habemus. Auernum lacum, in Magna Græcia describit Tyrius Maximus, Oratione 26. Et veras esse has dictorum scriptorum opiniones, docet singulatim lib. 20. Trogius, quem audi, Tuscorum populi, qui oram Inferi maris possident, à Lydia venerunt: & Venetos quos incolæ Superi maris videmus, capta & expugnata Troia, Antenore duce misit: Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriano mari nomen dedit, Græca vrbs est: Arpos Diomedes exciso Ilio, naufragio in illa loca delatus, condidit. Sed & Pisa in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuscis Tarquinij à Thessalis & Spinambris: Perusini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Ceren vrbs dicam? Quid Latinos populos? qui ab Ænæa conditi videntur? Iam Falisci, Nolani, Abelani, nonne Chalcidensium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniæ? Quid Brutij Sabinique? Quid Samnites? Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, Spuriusque vocatos accepimus? Thurinorum vrbs condidisse Philocteren ferunt, ibique adhuc eius monumentum visitur: & Herculis sagittæ in Apollinis templo, quæ fatum Troiæ fuere. Metapontini quoque in templo Mineræ ferramenta quibus Epeus, à quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, propter quod omnis illa pars Italiae, Maior Græcia appellata est. Hactenus Trogius. Ex his discimus ingeniosissimum poetam 4. Fastror. haud falsò cecinisse, *Itala nam tellus Græcia Maior erat.* & cetera quæ ibidem sequuntur. eadem ferè cum dicti Trogi. De hac eadem Magna Græcia non possum non addere, secus quàm sentiunt viri quidam hac nostra tempestate doctissimi, à me obseruatum: nempe, quemadmodum, teste Strabone 6. Sicilia quoque sub eodè nomine comprehendebatur, ita contra quoque hanc Magnam Græciam, identidem sub Siciliæ innouisse, testes D. Hieronymus, qui Rhegium Iulium Brutiorum, Siciliæ dicit: Ælianus & Suidas, qui Tarentum Calabriae: Concilium vi. Constantinopolitanum sub Constantino Magno habitum, Baias Campaniæ: Stephanus, Sinuessam Campaniæ, Cauloniam Locrorum, Lagariam Thurinorum, & Mataurum Brutiorum: Eustathius, Crathin fluium Brutiorum: Theocriti Scholiastes, Neathum amnem Crotoniatarum: tamquam Siciliæ loca describunt. Litiuus quoque his omnibus verustior, habet Siculas vrbes in Campania. Immo Togatam Galliam (quæ pars Italiae versus Occidentem vltima) aliquando Siculos obtinuisse, ante Gallorum nempe in eam aduentum. item Anconam condidisse, Plinius testatur reliquit. Thucydides, scribit Siculos ab Opicis (qui in Campania) pullos, in insulam delatos. Atque si Seruius minus credimus, scribit idem testis fide dignus Halicarnasseus: Siculam indigenam nempe gentem omnium primam Romanum agrum tenuisse. Hanc quoque Magnam Græciam à Siculis habitaram Strabo 5. ex Antiocho auctor est.

Atque hæc de prisca illa Magna Græcia, siue maui Sicilia: quæ non totam hac tabula exhibemus. at eius tantum partem exteriorem, in qua præter Calabriam, Apuliam, Brutios, & Locros; etiam Magna Græcia peculiariter sic dicta, à Ptolemæo, Litiuo, Polybio, Athenæo, & Val. Maximo: ea de causa, vt Straboni 6. & Ciceroni 2. de Oratore placet, quod Pythagoras philosophus Græcus ibi habitauerit: aut vt Synesio Oratione de Dono, quia viros philosophos & militares aluerit. Athenæo potius credam, qui scribit, propter ingentem Græcorum hominum numerum in hac regione habitantium. Idem sentire Festus & Trogius, supra diximus. Hæc regiones nominatæ ab Halicarnasseo sub nomine Italiae Orientalis comprehenduntur. Plinius Frontem Italiae dicit: quæ, vt Mela habet, in duo Cornua scinditur. promontoria eadem vocantur in Sallustij Fragmentis: nominata distinctim Bruttium, & Salentinum. Vertices Κορυφαί sunt in Strabonis Epitome 2. vocatque Leucopetram, & Iapygium. (quæ synonyma cum Bruttio & Salentino.) Sed Cornua vocat quoque Paul. Diaconus: qui hoc finitrum, illud dextrum nominat. Pro Salentino autem, Lacinium apud Plinium legitur: an vitio librariorum, vel Plinij lapsu, iudicent peritiores. Idem hunc tractum Amazonicæ parmæ forma comparat: hoc est media Luna, interprete Seruio ad illud in 1. Æneid. *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.* Est in hac continentia Sila silua, cuius Sallustius, Virgilius, & Vibius meminere. Strabo scribit eam stadiorum 1000. longitudinis esse: arboribus præclare confitam, atque aquæ copia præditam. Huius caseos mirè laudat Casiodorus Variar. 12. ad Anastasium. Hinc pix illa Bruttia, cuius Dioscorides meminit. & quam Plinius ad vasâ vino condendo maximè probari adfirmat. Putauerim hanc siluam vocari Carminianensem, in Lib. Notit. & Carneianus fortè etiam in libro de Limitib. Dictus Casiodorus 8. Epist. vltima, describit in Consilino huius Tractus agro Marcilianum suburbium, quod D. Cypriani natale vocat, de quo (vt hoc obiter annotem) nulla, quod miror, in Vitis Sanctorum, Martyrologiis, aut apud vllum alium auctorem memoria. neque, quod magis mirandum, apud illos, qui, vt Gabriel Barrius, & Prosper Parisius, huius regionis Diuos peculiare speciatim nominauerunt, vel descripsere. At de natura, situ, dotibus peculiaribus, antiquitatibus, plura scribere superfedebam. quia abundè doctæque hoc factum antequam hanc tabulam delineabam, à viris duobus hinc oriundis, eiusque peritissimis: qui sunt Gabriel Barrius, in libello suo Calabria inscripto, vbi tam fusè atque diligenter hanc Magnam Græciam, Brutios, & Locros descripsit, vt lectori etiam talium rerum vix fatiabili, abundè tamen satisfecerit. & Antonius Galateus suam Iapygiam (quæ antiqua Calabria) ita calamo depinxit, vt suum lectorem non tantum regionis peritum, sed & philosophicis instructum à se præceptis, non sine animi fructu dimittat. Apud quem etiam Callipolis vrbs peculiaris descriptio. De Tarento vrbe, eiusque agro, volumen edidit eius cuius Ioannes Iuuenis. A nobis autem de insulis Diomedæis, quæ huius quoque tractus, hæc quæ sequuntur, etiam habeto.

## DIOMEDEAE INSULÆ.

DIOMEDEAS insulas duas describit Plinius: totidem etiam Strabo. quorum alteram cultam, alteram desertam tradit. Quinque numero habet Ptolemæus, sub vno nomine Diomedæas, & totidem, si quis scopulos cõnumerat, etiam sunt hodie, singulatim nominatæ. An veteribus singulæ hæc singulis nominibus innotuerint, mihi incertum. Diomedeam harum vnâ (vt Britanniam inter Britannicas) per excellentiam vocant Festus, Stephanus, & alij. Trimerumque harum vnâ, vnus Tacitus: Teutriam vnus Plinius. Ceterasque innominatas reliquit, ni fallor, antiquitas. nam Electram, & Febram, quam nominat ad x1. Æneid. Seruius, siue Sebriam & Aletridem, quarum meminit ad eundem locum Pomponius Sabinus, apud neminem veterum me reperisse, libes fatebor. Situs earum in mari Hadriatico est, haud procul Apuliæ littoribus, ante Garganum promontorium. non autem in conspectu Tarentinæ vrbs, vt ad eundem Æneidos locum, falsò annotauit idem Seruius. Nomen habet omnium vtriusque lingue scriptorum testimonio à Diomedæ rege Aetoliæ, quem huc in reditu ab Ilij expugnatione, à suis non receptum, expulsus, hicque inhumatum iacuisse tradunt. Eiusque delubrum, monumentum, siue tumulum hic quoque extare, in ipsa nempe Diomedæa platanumque huc primum huius tumuli gratia aduectam, scriptum reliquit Plinius. In Trimerum, vt scribit Tacitus, Augustus neptem suam Iuliam adulterij conuictam, damnauerat. ibidemque hanc viginti annis exilium tolerasse, addit. Apud Platinam in vita Hadriani 1. lego Paull. Diaconum olim in Diomedæam relegatum à Carolo Magno. De Diomedæis auibus (quas Iuba catarractas, Aristoteles charadrios, Græci alij erodios vocant) his insulis peculiaribus: vno enim, eoque hoc loco, si veteribus fides, totius Orbis visuntur: hæc accipe, ab Ouidio xiv. Metamorph. *Si volucrum que sit dubiarum forma requiris, Vt non cignorâ, sic albis proxima cigni.* Ciconiis haud absimiles, facit Suidas. Aristoteles in Admirandis, Vastas dicit, rostroque prælongis, turgidisque Plinius cum Solino fulicarum similes scribunt: colore candidas, eisque esse dentes, & oculos igneo colore. Sunt qui has Ardeas putant. Ardenas hodie vocari ab harum insularum incolis, auctor est Rob. Constantinus, easque vocem edere pueris vagientibus simile, atque earum pinguedinem prodesse morbis frigidioribus. Blondus scribit intellexisse se ex quibusdam harum insularum incolis, has aues Diomedæarum nomen retinentes, magnitudine anseris esse, sed omnino innocuas, nec aliquid eis, aut templo præstantes officium. Qui plura de iisdem, vt de earum ex Diomedis sociis in harum auium effigies metamorphosi siue de harum natura, vt de humanitate erga Græcos, (probos ait Strabo) ferocitate erga barbaros (flagitiosos Strabo) deque ædis sacræ ab his purificatione, ceteraque de his poetica mædacia intelligere desiderat, hos supradictos à me auctores adeat, addatque eis Aelianum 1. Animal. cap. 1. D. Augustinum de Ciuitate Dei 18. cap. 16. Antigonum, Ant. Liberalem, Lycophronem, eiusque Scholiasten Isacium; item Philen. Hodie hæc insulæ subsunt regno Neapolitano: vnoque nomine Tremitanæ omnes appellantur; singulatim autem inter se proprijs nominibus dinoscuntur, quæ lege in nostro thesauro Geographico. Omnes hactenus sunt desertæ, præterquam ea in qua olim Diomedis delubrum: vbi nunc abbatia, quæ vulgò S. Maria de Tremiti appellatur. Suntque in ea Canonici regulares, quos Eugenius 1111. pontifex fouit & auxit (vt Blondi verbis dicam) gloriosius. Hi tanta, (audi Zachariam Liliam) rem sacram deuotione tractant, tanta pietate appulis succurrunt, vt non tantum maritimis incolis, sed & nauigantibus cunctis reuerendi sint, atque per celebres. Leander Alb. tradit has insulas præstantissimos nutrire equos.



Itala nam tellus  
GRAECIA MAIOR  
erat. Ouid. 4. Fas l.

CL. V. DNO  
D. IOACHIMO  
CAMERARIO,  
R. P. NVREBERG.  
MEDICO CELEBER-  
RIMO, VERO ET VE-  
TERI SVO AMICO,  
ABRAHAMVS  
ORTELIVS  
DEDICAB.

MARIS ADRI-  
ATICI, SIVE  
SPERIS.

MARIS IONICI, SIVE AVSO-  
NII PARS.

SEPTEMBRIO.

MERIDIES.

Hanc Italiae partem exteriorem sic de-  
scribere conabar Abrahamus Ortelius.  
Privilegio decennali.  
1595.

MARIS TYRRHENI  
PARS.

LUCANI.  
Andragathia  
regio.

MAMERTINI.  
TRINACRIAE  
SIVE  
SICILIAE  
PARS.

MAGNA  
GRÆCIA

CHERSONESUS  
STRABONIS,  
SIVE  
PENINSULA  
PLINII.



DELMATIA.

OCCIDENS.

Aetna  
mons

